



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Variorum In Europa Itinerum Deliciæ**

**Chyträus, Nathan**

**[Herborn], 1599**

**VD16 C 2803**

Hamburgensia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

IN CATHEDRALI.

*Humi in lapide.*

D. HENRICI BROEMSII.

*Stemmate praclaro doctore proconsule natum,  
Doctorem Juris atra sepulchra tenent.  
Perfidia vulgi patriis dum sedibus exul  
Imperii Consul Caesaris esse fit, Eques.  
Sic mundi curis tandem fessusq; senecta  
Jungitur invictus mortis agone Deo.*

Obiit anno 1542.

*Ibidem in sublimi.*

D. O. M. S.

Strenuo ac nobilitatis splendore viro spectabili, Domino Henrico Broemsen, Equiti Aurato, ac J. U. Doctore eximio, invictissimi que ac potentiss. Caroli v. Imperatoris quondam Consiliario fidelissimo, amplissimæq; civitatis hujus patritio, agnati, gratæ memoriæ causâ insignia hæc poni curaverunt. Obiit humanæ salutis anno 1543. die conversionis Pauli, cum vixisset annos 67. dies decem & septem.



HAMBURGENSIA.

IN COEMITERIO SUMMI  
TEMPLI.

**A**Nno Domini M. D. XVII. in vigilia conceptionis virginis matris gloriosæ, spectabilis & egregius vir, dominus Albertus Crantz, sacræ Theologiæ ac Decretorum eximius Doctor, Ecclesiæ Hamburgensis Canonicus, lector facundissimus, doctissimusq; & olim Decanus: morum ac virtutum specimen & exemplar, patriæ decus, feliciter concessit in fata. cujus anima cum beatis molliter quiescat.

Anno



Anno 1106. Inclytus & Magnus Princeps, Dn. Luderus Dux Saxoniae & Westphaliae, qui postea Romanorum Imperator factus, & Lotharius appellatus, contulit & dedit Comitatum Holsatiae, Wagariae & Stormariae vacantem absque heredibus, per mortem nobilis viri Godfridi dictarum terrarum ultimi Comitis, a paganis pro fide Catholica, cum multis Christianis ministerialibus suis prope Hamburch interfecti, nobili viro Domino Adolpho Comiti de Scomborch, qui, & sui filii de tempore procreati, ab illo tempore usque in hodiernum diem praedictarum terrarum pacifici Domini & Comites sunt & fuerunt, & post Carolum Magnum, & Ludovicum ejus filium Romanorum Imperatores, & Francorum Reges, hujus Ecclesiae secundi fundatores, & fidelissimi fautores extiterunt.

*Supra portam quandam.*

Justitia sine prudentia multum ad fidem faciendam  
valet. sed

Prudentia sine justitia nihil.

*In Maria Magdalena.*

H. Dominus Adolphus, grates Deo referens, se ipsum detinens a variis caedibus & malis militibus, Anno Domini 1239 habitum fratrum minorum assumpsit in Hamburch humiliter, ubi Anno Domini 1244 primam suam missam devotè celebravit: & in ordine annos 23 diu Deo militans, confecit. Anno Dn. 1261, in Kilone in pace requievit.

A L I U D.

*In choro adis cathedralis.*

Benedictus Papa, qui de sede Apostolica per violentiam amotus, & post, cum revocaretur, obiit Hamburgi, Anno Domini 1541. quinto nonas Julii, & sepultus est hic.



ÆNIGMA INCISUM LAPIDI SEPULCHRALI  
in templo Cathedrali, contra superbos.


O, MORS, CUR, DEUS, NEGAT, VITAM, SUPER  
BE, TE, BIS, NOS, BIS, NAM.

Canon.

*Ordine da primam media, mediamq̄, sequenti,  
Debita sic nosces fata, superbe, tibi.*

*Quid mortalis homo jactas te? quidve superbis?  
Cras fors an fies pulvis & umbra levis.*

*Quid tibi opes prosunt? quid nunc tibi magna potestas?  
Quidve honor? aut prestans quid tibi forma? nihil.*



## BREMENSIA.

### IN PORTA EOA.

**C**ivitas pro saxis & mœnibus incolentium virtute mu-  
nienda est; quos si jungat concordia, nullus potest ef-  
se murus inexpugnabilior.

#### IN PORTA S. ANASCHARII.

*Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit,  
Oppida, nec virtus altius ire potest.*

#### IN PORTA SURDORUM.

Republicæ, post Deum, nullo munimento tutiores  
sunt, quàm virtute civium. Civis verò is est, qui sincerè  
patriam diligit, ac bonos omnes salvos incolumesq; de-  
siderat.

#### IN PORTA PONTANA.

CONSERVA DOMINE HOSPITIUM  
ECCLESIE TUÆ.

#### IN PORTA DOMINICA.

*Bremen sey eyndechtig/  
Lass nicht mehr inn/du seyft jr dann mechtig.*